

Johannis Wessellii S.S. Theologiae Doctoris & Professoris Ordinarii Oratio de simplicitate prudenti in oratore sacro requisita : dicta publicè ... quum professionem Oratoria Sacrae solemniter auspicaretur.

Contributors

Wessel, Johann, 1671-1745.

Publication/Creation

Leidae : Apud Samuelem Luchtman, 1739.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kujjuyva>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

JOHANNIS WESSELI

S. S. Theologiae Doctoris & Professoris Ordinarii

ORATIO

DE

SIMPLICITATE PRUDENTI

IN

ORATORE SACRO

REQUISITA

Dicta publicè

XIX. Januarii MDCCXXXIX.

Quum

Professionem ORATORIAE SACRAE Solemniter

Auspicaretur.



LEIDÆ,

Apud SAMUELEM LUCHTMANS; 1739.

Academiae Typographum.

JOHANNES WESSELI
2.2.1800
ORATIO
DE
SIMPLICITATE PRUDENTI
IN
ORATORE SACRO
REQUIST A
Dilecti publici
XIX. Januarii MDCCXXXIX.
Quam
Fidelitatem ORATORIE SACRAE Sollicitudo
Assidue



LEIPZIG
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1772.
Academice Typographia

MAGNIFICE RECTOR.

PERILLUSTRES HUIUS ACADEMIÆ CURATORES.

NOBILLISSIMI, AMPLISSIMIQUE REIPUBLICÆ LEIDENSIS
PROCERES, CONSULES, JUDICES; QUIQUE IIS ESTIS
A SECRETIS, VIRI SAPIENTISSIMI, ET SPECTATISSIMI.

CELEBERRIMI PROFESSORES, HUIUS UNIVERSITATIS
LUMINA SPLENDIDISSIMA.

QUI TRIBUNALI ACADEMICO ES AB ACTIS, VIR CON-
SULTISSIME.

ERUDITISSIMI, PISSIMI, ET DISERTISSIMI V. D. MINI-
STRI, FRATRES IN DOMINO VENERABILES ATQUE
DILECTI.

DOCTISSIME MATHESEOS LECTOR.

OMNIUM SCIENTIARUM ET ARTIUM DOCTORES CO-
LENDISSIMI, CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, ACUTIS-
SIMI.

ONNIUM ORDINUM, DIGNITATUM ET MUNERUM AU-
DITORES, CIVES ET HOSPITES, QUOTQUOT HUNC
ACTUM CONDECORATIS, VIRI PRÆCELLENTESS, EXO-
PTATISSIMI.

TU DENIQUE JUVENTUTIS ACADEMICÆ, DEO, PATRIÆ
ET ECCLESIAE SACRÆ, CORONA LECTISSIMA, SPLEN-
DIDISSIMA, FLORENTISSIMA, GAUDIUM, DECUSQUE
NOSTRUM.

LEONARDUS LECTOR.

INSTITUTIONES HUIUS ACADEMIE CURATORES.

PROFESSOR AMPLISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS

CELESTINI PROFESSOR, HUIUS UNIVERSITATIS
LUMINA SERRANDISSIMA

SEN. FRANKLIN ACADEMICO ET AB ACTU, VIL. COE
SUTTER.

PROFESSOR, HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS

DOCTISSIME MATHEOS LECTOR.

ORDINUM SCIENTIARUM ET ARTIUM DOCTORES CO
LLEGIUM, HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS

ORDINUM ORDINUM HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS

PROFESSOR HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS
HONORABILISSIMUS ET HONORABILISSIMUS



O R A T I O

D E

SIMPLICITATE PRUDENTI

I N

O R A T O R E S A C R O

R E Q U I S I T A.



riscos Gentilium Sapientes Universam
fere Theologiam sub fabulis tradi-
disse, inter omnes Antiquitatum
scrutatores satis abundeque constat.
Excogitarunt non modò fabulosas de
Diis suis narrationes, verùm etiam ima-
gines & picturas, quibus virtutes eorum significarent
atque operationes, introduxerunt. Sic Fulmina Jo-
vi tributa sunt, Tridens Neptuno, Sagittæ Cu-
pidini, Fax Vulcano, Virga Mercurio. In hujus
enim, Jovis Filii & ad homines Nuncii, Effigie
Virga Aurea Rectaque comparet, quam manibus

A

te-

tenet ille ; quamque duo serpentes impliciti ambiunt. Quemadmodum ipse Mercurius, *Egūns* dictus, est Sermonis usus, a Deo ex alto missus, folique homini donatus, cujus ope divinæ voluntatis placita nobis innotescunt; ita Virgam in manibus ejus, docti Viri, qui altiora Fabularum harum sensa investigarunt, ad Sermonis, Orationis & Eloquentiæ Vim, per illam adumbratam, haud absque ratione retulerunt. Virga enim in manu Pastoris & Ducis est instrumentum, quo diriguntur oberrantes, inhibentur nimium properantes, corriguntur delinquentes, tardioresque & segnes excitantur; atque adeo est symbolum satis aptum ad Vim Eloquentis Orationis exprimendam, quâ Hominum animis imperant Oratores, eosque modo quodam arcano invadunt, flectunt, & quocunque volunt pertrahunt, dissidentes etiam atque inter se acerrime dimicantes sedant; æque ac Mercurius, uti fert Fabula, Virgâ suâ inter duos angues pugnantes interjecta, eos momento citius pacavit. Pulchrè itaque hæc Mercurii *Virga* symbolica Regnum, quod Eloquens Oratio in Homines exercet, repræsentat: & simul causas prævalentis istius imperii eleganter exprimit. Etenim erat illa *Recta & Aurea*; quo significabatur, quòd vis illa Orationis maxime dependeat à Materiæ, auro quovis preciosioris & purioris, Dignitate simul ac Veritate, hujusque demonstra-

stra-

stratione per Argumenta, ipso auro solidiora: Imo sic indicabatur, quod hæc Orationis Virtus præsertim profluat a *Rectitudine & Simplicitate* Animi pariter & Vitæ, non adeo quam voce vultu gestu, dum dicit Orator, simulet, sed longè magis quam verè habeat & ostendat. Quod verò *Virga* hæc *geminis serpentibus* circumplicata conspiciebatur in Effigie Mercurii, hoc figurabat *Prudentiam* ab Oratore cum *Rectitudine* illa & *Simplicitate* esse jungendam, ut magis, apud Auditores, polleat ejus oratio. Et meritò. Etenim *Prudens Simplicitas* non tantum *Vitam* hanc terrestrem reddit, ut Poeta *Martialis* ait, *beatior*, sed etiam jure recensetur inter ea, quæ Oratorem, non Forensem modò & Scholasticum, sed Sacrum inprimis & Christianum, de Religionis Mysteriis & Officiis agentem, felicem, flexanimum atque ad persuadendum peridoneum efficere queunt.

Quare etiam hæc duo, *Simplicitatem & Prudentiam* arctè conjunxit Dominus noster, quando Discipulos suos, Euangelii sui per totum terrarum Orbem præcones futuros, hoc sapientissimo monito instruxit, *Estote igitur PRUDENTES UT SERPENTES, ET SIMPLICES* (*απλοὶ*) *UT COLUMBÆ.* Quo excitatus Ego de utraque hac Virtute, *SIMPLICITATE & PRUDENTIA*, Oratori Sacro inprimis necessariâ, hac horâ apud Vos dicere constitui; Ora-

toriae Sacrae nuper ab Illustrissimis Academiae hujus Curatoribus, & Amplissimis hujus Urbis Consulibus eorum Collegis, designatus Professor. Qui sic non novum adeo, mihi, sexagesimum octavum Aetatis annum agenti, imposuerunt laborem; sed ut eam, quam spontè, nec indiligenter, nec inutiliter per xxvii annos, Oratoriae Sacrae tradendae navavi operam, sibi non displicuisse ostenderent, me novo honoris Titulo, novâ docendi Eloquentiam sacram Auctoritate, novoque Honorario cumularunt. Quod læto ac grato animo nunc agnosco; & me recenti hoc favoris vestri, Perillustres & Nobilissimi Academiae hujus Proceres, atque qualiscunque de me existimationis Testimonio, Vobis denuò obstrictum atque perpetuò devinctum, palam profiteor. Non onerabo vos, Auditores Humanissimi, verborum multitudine & granditate, artisque Rhetoricae pigmentis, temere aspersis, aut Eruditionis etiam secularis affictò quodam apparatu: Verùm simplici, perspicuâ & compendiosâ Oratione disputabo de SIMPLICITATE PRUDENTI, non quæ ex Oratione dicentis duntaxat elucet; sed etiam & magis, quæ ex tota simul Oratoris Vita cognoscitur.

Adsis mihi o Jehova, Pater Luminum, Tuo auxilio, quod ardentissimis votis supplex implo-ro!

Finis

Finis Oratoris Sacri, uti nostis, esse debet; non solum *Delectare* Auditores suos, eosque vocis suavitate, sermonis decenti ornatu, rerum concinna dispositione, atque convenienti gestuum moderamine attentos tenere; sed etiam *Persuadere* illis Veritatem & Sanctitatem Doctrinæ Christi, Demonstratione ejus ad Conscientiam, per Argumenta animos eorum Convincentia; & denique *Permove*re ac Excitare Affectus eorum, ut Viam salutis veram atque unicam, quam cognoscunt & probant, etiam diligant, & actu ingrediantur, nec cum Medea, apud Ovidium, meliora quamvis videant, deteriora tamen, ad æternam eorum perniciem, sequantur.

Præcepta de Modis quibus *Delectare* queunt Oratores Sacri Auditores suos, eorumque Attentionem fovere, dederunt dudum Oratoriæ Sacræ Magistri, plura atque egregia, & inter illos ὁ πᾶν de- sideratissimus noster FABRICIUS, in suo *Oratore Sa- cro*, ante annos sedecim, ex hac Cathedra, vivis coloribus in Voce, Vultu, Gestu totoque Habitu, delineato. atque depicto.

Quapropter ego, hisce missis, nunc solummodò dicam de illis Causis & Mediis, quæ cum maxime facere possunt ad *Persuadendam* misero peccatori Fidem in Dominum gloriæ Crucifixum, quâ Deum iratum sibi conciliet, cum abnegatione omnis me-

riti & fiducia in justitia propria: & simul ad *Permovendum* eum, ut cum abnegatione voluntatis pravae, imo & naturalis quandoque, sese subjiciat divinae voluntati arcanæ, semper sapienti, & revelatae, semper sanctæ & justæ, atque ut peccati dominio, carnis voluptatibus ac ratiociniis nuncium mittat, ac per Angustam Sanctitatis Christianæ viam ad Augusta Cælestis Beatitatis palatia ac consummata sapientiæ Tempia serena, omnibus viribus contendat.

Ad quæ omnia, cum singularem, uti Ego quidem arbitror, vim habeat, SIMPLICITAS PRUDENS, prout in Oratione non solum ipsâ, sed etiam & maxime in Vita Concionatoris sacri exprimitur; propterea eam nunc in gratiam Sacræ Juventutis breviter edisseram, ut discat illa quodnam sit Ecclesiastici Oratoris præcipuum ornamentum, atque ad persuadendum & permovendum necessarium in eo *Requisitum*.

Per SIMPLICITATEM verò, quæ a Sacris & Profanis Auctoribus haud rarò inter Vitia refertur, non intelligo *Dementiam*, in Ephrajimo, fatuæ columbæ ab hac parte simili, notatam (a); aut *Stupiditatem* illam, quâ quis facile se ab alio decipi patitur; quo sensu Juvenis ille blanditiis scorti super-

ra-

(a) Hof. VII. 11.

ratus (b), & Homo stolidus, *credens omni verbo* (c); פְּתָאִים *Simplices* in Proverbiis Salomonis appellantur; aut denique *infantilem quandam Ignorantiam*, rerumque omnium Imperitiam, quæ in illis est qui nec literas nec notare didicerunt, quique *simplices* illi sunt, quibus etiam Lex Jehovæ, ut Lux, sapientiam adferre potest. (d)

Doctrina enim varia in Ecclesiæ Doctores est necessaria (e). Sunt enim instar Stellarum cæli, quæ proprio vel mutuatio lumine fulgent, illudque emittunt super terram, ut eam mediis in tenebris illuminent. Cæcos olim Sacerdotes Lex admisit nullos. Plurimum profectò damni creant Populo Dei Cæci ejus Duces. Quantæ non tenebræ obortæ sunt olim in Judaismo, (nec minores postea in Papatu), quando Draco tertiam partem stellarum cæli abjecit in terram, & luce omni privavit (f). Verbi Minister Ecclesiæ est quod est *Oculus* corpori & *Lucerna* Domui (g) si *Oculus* est *Malus*, vitiosus & obscuratus, *totum corpus tenebrosus erit*: si vero oculus fuerit (h) ἀπλῆς *simplex* nullo operimento implicitus, *totum corpus erit Lucidum*.

Præterea Concionatoris Sacri officium est Verbum

(b) Prov. vii. 7.

(c) Prov. xiv. 15.

(d) Psalm. xix.

8 XIX. 130.

(e) 2 Tim. iv. 2.

(f) Apoc. xii. 2, 3.

(g) Matth. vi. 22.

bum Dei coram populo interpretari, & super loco Scripturæ aliquo differere. Interpretatio autem Textus Sacri, ut ita loquar, est vel verbalis, vel realis. Ad utramque, præter Eruditionem Theologicam, requiritur, & plurimum conducit Grammatica, Logica, Rhetorica, Historica, Rerumque Naturalium aliqua saltem Cognitio. *Grammatica*; ut sensum verum vocabulorum Hebraicorum & Græcorum sciat eruat ac demonstret Concionator. *Logica*; ut distincte de rebus cogitare, easque rite disponere, veritatumque connexionem ad convincendos animos ostendere queat. Quare ex scholis exturbari non debuisset Logica, ut locum faceret Methodo demonstrandi Mathematicæ. Quæ quidem in rebus Mathematicis optima est, verum in Theologia tam Naturali quam Revelata locum vix opportunum reperit: dum Hominum animi multis illis Definitionum, Postulatorum, Axiomatum, Propositionum ambagibus percelluntur potius quam convincuntur: Imo quæ ad Theologica etiam translata videtur, non ab omnibus (nam Aliqui bonâ fide & optimo animo, nec infeliciter plane, hac Methodo Mathematica in Theologicis usi sunt) sed ab uno saltem & altero, occulto Religionis hoste, eum in finem, ut sophismata tegantur, incauti fallantur, & *Maledictæ* impuritates, sub specie sublimis quidem, sed & certæ,

certæ scientiæ , orbi obtrudantur , quæ si Logica Methodo propositæ fuissent , facilius detegi potuissent. Requiritur præterea in Concionatore Sacro Cognitio *Rhetorica* , ut Linguam illam Eruditorum , (h) quâ locutus est Dominus in diebus carnis suæ , & Prophetæ ac Apostoli loquuntur in Scriptura , Tropos nempe Figurasque Rhetoricas , in eâ frequenter occurrentes , bene intelligat Orator sacer , propriasque locutiones ab impropriis accuratè distinguat. Certe *Johannes Piscator* Herbornensis , quia in his disciplinis , Grammatica , Logica , Rethoricâ , eminuit , adeo accuratam Scripturam interpretandi rationem assecutus est , ut vix inter Interpretes ejus parem habeat. Imo etiam Requiritur in Verbi Ministro Cognitio *Historica* , vel ob hanc causam , ut Vaticiniorum Implementum ostendere queat. Neque tandem in *Philosophicis* , *Rebusque Naturalibus* hospes plane & peregrinus esse debet , quales etiam in Voluminibus Sacris , & maxime in Jobo bene multæ occurrunt , & a quibus sæpe similitudines petuntur , ab Animalibus puta , Herbis , Arboribus , Lapidibus , Metallis. Quæ Litteris Virorum doctorum satis jam sunt exposita , ut necesse non sit Concionatori Sacro , in multis *propter pauca laborare* , quod cum Augustinus (i) jam de suo ævo testatus est , mul-

B

to

(h) Jes. L. 4.

(i) Lib. II. de Doct. Christ. §. 19.

to majori jure id de nostro affirmari potest.

Paulus sanè Apostolus, qui non fuit *Idiota Scientiâ*, quamvis sermone talis haberetur, Gentilium Poetarum *Arati*, *Menandri*, *Epimenidis* dicta, quæ in scriptis illorum proculdubio ipse legerat, laudans, docuit licitum quoque esse Concionatori Christiano, ut ea quæ ab Ethnicis Philosophis & Poëtis bene sunt tradita, aliquando sed parce commemoret, eaque ab illis ut injustis Possessoribus repetat, in usum meliorem vindicet, atque ex iis Consensum utriusque Luminis Scripturæ & Naturæ ostendat. Quam feliciter *Cyprianus*, *Lactantius Optatus*, *Hilarius*, Aliique, errores Gentilium, Argumentis ex eorum Libris petitis, tanquam propriis eorum Armis, confutarint, idem quoque Augustinus observavit (k). Quamobrem etiam Julianus Imperator pueros Galilæorum a Philosophiæ, Poeticæ & Rhetoricæ studio arcebat; quoniam aliàs, uti dicebat, *propriis pennis*, ut in proverbio est, *configimur*, uti narrat *Theodoretus*. (*k) Non est tamen omnibus Verbi Ministris peræque necessarium, ut sciant quidquid unquam superbi Philosophi, aut fabulosi Poetæ, aut nugivenduli Rab-
bini didicerunt; neque ob horum ignorantiam *Simplices*, id est, rudes & inscii dicendi sunt; Quo nomine Christiani olim a Valentinianis Hæreticis
appel-

(k) Lib. II. de Doctr. Christ. Cap. XL. §. 60. (*k) Hist. Lib. III. c. 7.

appellabantur, quòd altitudinem Myfteriorum de Æonibus adsequi non poterant; quod merito risit Tertullianus, *adv. Valentianos, in principio.*

Sed *Eruditam* illam *Simplicitatem* urgemus, quâ quilibet Verbi Minister Scripturæ Verba intelligere, sensum indagare, mentem adsequi, & doctrinam salutis proponere, illustrare, & confirmare valeat; ut Auditores vel convincantur vel convertantur, Pii que in Fide corroborentur, in Charitate ædificentur, Lugentesque Tzijonis Consolationum divinarum dulcedine recreentur.

Quam *Eruditam Simplicitem* opponimus illi, quam Mysticæ Theologiæ Auctores, Veteres & Recentiores, laudant, atque in Scripturâ laudari temere supponunt; quâ omni scientiarum & artium apparatu abdicato, & animâ ab omnibus multiplicium idearum in intellectu, affectuumque vitiosorum in voluntate, sordibus, quæ ex ejus cum ergastulo corporis ortæ sunt conjunctione, purgatâ, in *Simplici* Deo quiescit, & ad Deum retracta, in eo, uti ajunt, *Simplificatur.*

Quæ *Platonico - Mystica Simplicitas* non est verè Christiana illa, quam Christus & Apostoli commendarunt, verum multis nominibus reprobanda est; quia ἀγνοσίαν inducit, studiorum & meditationum nostrarum industriam tollit, doctrinam fidei justificantis obscurat, & omisâ plane ac spretâ Unionem relativa nostra per fidem cum Christo sponsore,

fore , & cum Deo in Christo reconciliato , animæ modò , ut quæ sit auræ divinæ particula , *Unionem* cum Deo *essentialem* involvit. Atque adeò , quia hæc Mysti-
corum *Simplicitas* favet *Pelagianismo* , per viam , quam laudant , *Purgationis* , ab omni pravo affectu , tanquam in hac vita possibilis ; & *Enthusiasmo* , per viam *Illuminationis* a Deo immediatae , quam expectant ; & *Platonismo* , per Viam *Unionis essentialis* cum Deo , quam somniant , & Deificationem vocant ; imo denique & *Atheismo* hodierno , per viam *Quietis* , quam jactant , & Resignationis ejusmodi voluntatis nostræ , ut nihil velit homo , sed omnia Deus , nostraque Voluntas in Divina plane absorbeatur.

Verùm sicuti per SIMPLICITATEM Oratoris Sacri non intelligo *Infantilem* rerum *ignorantiam* , ita etiam minimè per illam intelligendam Volo *dicendi infantiam* ac rusticitatem , seu vile nimis fordidum ac illiberale dicendi genus ,

Hoc enim inculto , abjecto , imo a lixis & calonibus sæpe petito dicendi modo , Reverenda Fidei nostræ Mysteria , Tremenda Domini Præcepta , totaque Sanctissima nostra Religio , hominum profanorum & vulgi irrisioni & contemptui exponuntur.

Piscatoria *Simplicitas* non respuit omnem sermonis Elegantiam ac Pulchritudinem. *Naphthali Verba Pulchra* , Evangelio Regni Messiae & Doctrinæ Cælesti

congruentia , juxta prædictionem moribundi patriarchæ Jacobi (1), daturus erat.

De Paulo Apostolo disseminabant Obtrectatores ejus , quòd *Epistolæ* quidem essent *graves & validæ* (m) , sed quod *Sermo* ejus esset ἐξοθενμένον *Contemtibilis & nihili*. Sic verò inconditum dicendi genus , sermonisque spurcitiem illi neutiquam exprobrasse videntur , cujus βαρύτητα in stilo Epistolico admirabantur. Sed respexerunt: *Vel* ad vocem ejus exilem ac debilem : *Vel* ad linguam ejus nonnunquam impeditam per Colaphos Satanæ , quos post Raptum suum in cælum plus semel experiebatur , quibusque corpus ejus non modò tremore perculsum conturbabatur , sed & tubera in facie & lingua ejus oriebantur , quæ balbutire aliquando cogeant disertissimum alias Apostolum ; unde *per infirmitatem carnis* se prius Euangelizasse Galatis , (n) & se fuisse apud Corinthios cum *infirmitate , timore & tremore multo* , conqueritur : (o) *Vel* denique respexerunt sic calumniatores illi ad familiares Pauli sermones , quos præsens conferebat cum aliis , in quibus nihil Gravitatis & Auctoritatis istius Apostolicæ appareret scilicet , quam spirabant Absentis Epistolæ. Quare in eadem ad

Co-

(1) Gen. XLIX. 21.
IV. 13. 14.

(m) 2 Cor. X. 10.
(o) 1 Cor. II. 3.

(n) Gal.

Corinthios secunda Epistola (p) continuò subje-
cit hoc monitum Apostolus, ut *cogitent* hi sui Ob-
trectatores, quod *qualis est sermone per Epistolas, cum abest, talis quoque futurus sit reipsa cum aderit*; hoc est; quamvis coram, sive de rebus divinis pro concione, sive de privatis negotiis in familia-
ri colloquio, ageret, verbis amore & lenitate temperatis vulgò uteretur, ubi tamen ratio tulerit & necessitas flagitaverit, quod non minus præsens quam absens Apostolicam suam Auctoritatem, absque ullo præpostero metu, verbis & factis, atque adeo se semper eundem esse, demonstraturus esset.

Ipse Paullus porro quando concedere videtur Adversariis suis, quod sit *ιδιώτης τῷ λόγῳ* *Idiota sermone*, (q) sic minime fatetur se incondite & sordidè dicere. Neque agnoscit se esse *Soloecum*, in vocum constructione vitiosa, aut *Barbarum*, in literarum conjunctione & pronuntiatione inepta: *Idiota* enim nunquam significat peccantem in grammaticas regulas. Neque etiam sic significat, se illiteratum plane ac *ἀγράμματον* esse, quo sensu vocabulum *ιδιώτης* nonnunquam venit in Sacris, (r) aut omni dicendi peritia, artisque Rhetoricæ Scientiâ plane destitutum esse; nam *Idiotam Scientia*,
Hu-

(p) 2 Cor. X. 11.
13. 1 Cor. XIV. 16.

(q) 1 Cor. XI 6.

(r) Act. IV.

Humanâ quoque atque *Rhetorica*, se esse mox negat. Et verè profectò. Nam quamvis Grandiloquentiæ Græcanicæ Præcepta in scholis Rhetorum fortè non audierat, nec *Corinthia*, ut ajunt, *Verba*, ad ostentationem nitida, compta, delicata, didicerat; artis tamen dicendi plane ignarus non fuit Apostolus, ab ipsis Gentilibus pro *Mercurio*, Eloquentiæ Deo, habitus; (f) five eam ex lectione Oratorum æque ac Poetarum illorum hauserat; five ex dono Dei, quo *plus cæteris Linguis* fuit loquutus, (t) & quo *Sermonem Sapientiæ*, ut scitè, & *Cognitionis*, ut doctè loqui posset, non minus quam alii Doctores, de quibus in priori ad Corinthios (v) loquitur, acceperat; quo *Sermone sapientiæ* etiam usus est toties, quoties Dei gloria & hominum salus id postulabant.

Verùm quando se *Idiotam Sermonem* dicit Paullus, significat se non affectare in Concionibus & Epistolis Orationis meteora, fucatamque illam Eloquentiam, ac pomposum dicendi genus, quod ad ingenii ostentationem, vanamque dicentis gloriam, captandumque multitudinis applausum unice comparatum, Verbis ad pondus, ad numerum, ad sonum delectis, comptum est atque compositum.

Quod

(f) Act. XIV. 11.

(t) 1 Cor. XIV. 18.

(v) 1 Cor. XII. 8.

Quod genus dicendi , a Corinthiiis maximopere laudatum , appellatur a Paulo σοφία & ὑπεροχὴ τῆς λόγου *Sapientia & Eminentia* (x) *sermonis* , cum qua ad Corinthios se non venisse testatur. Non ; quia non poterat Artificio illo sermonis Græcanico uti , quemadmodum indoctus spernere solet quæ non potest adsequi : Nam Græcorum Rabbiorumque literis in Schola Tarsensi & Hierosolymitana bene eruditus erat , & ex ejus Epistolis pleraque Rhetorum Schemata , Orationisque ornatae etiam quædam Lumina , Augustinus in Libris de Doctrina Christiana , deduxit : Verum quia nolebat ista sermonis *Eminentia* uti , ob Dei Gloriam , ne *Crux Christi inanis* reddatur , Mundique Conversio Eloquentiæ Humanæ , non Divinæ *Potentiae* attribuat , & ut *Fides* nostra , non in *Sapientia Mundana* fundata esset , sed in *Potentia* Dei. (y) Imo , si ita placet , non est usus *Eloquentia Mundana* , quia non poterat. Nempe Spiritus S. Os & *Sapientiam* suggerebat illi , ut & reliquis Apostolis , (z) ut loqueretur prout Sp. S. *dabat eloqui*. Si voluisset Apostolus & Sp. S. hoc ei permisisset , haud difficile illi fuisset Eloquentiam hujus seculi imitari.

Fuit itaque Paullus *Voluntarius Idiota* Sermone ,
se

(x) I Cor. I. 17. II. 1.

(y) I Cor. II. 4. 5.

(z) Luc. XXI. 25. Act. II. 4. I Cor. XII. 7. 2 Petr. III. 15.

se ipsum, ut ait, (a) *submittens*, ut Corinthii *eveherentur*: & hunc in finem utens Eloquentiâ *idēā propriā*; seu *Sermone sapientiæ* illo, quem in Schola Spiritus S. non Rhetorum hujus mundi didicerat. Quod innuit ipse Apostolus in priori ad Corinthios Capite secundo (b) ita scribens. *Quæ* (Mysteria salutis homini naturali abscondita) *loquimur*, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, *πνευματικοῖς πνευματικὰ συγγεγόντες* *spiritualia spiritualibus*, id est, verbis a Spiritu S. perfectis, *exponentes*.

Quem *idiotismum* Pauli Legati Regis Tzijonis imitantur, quando Mysteria Regni Ejus Regis ipsius Verbis, quantum fieri potest, prædicant; quemque ad *Simplicitatem* in Oratore sacro *requisitam* primo loco referimus, & nominamus SIMPLICITATEM IN VERBIS.

Simplex verò cum id appelletur, quod nihil heterogenei admixtum habet, ad eam in *Verbis Simplicitatē* merito referimus *Stilum Scripturarium*, & *Verba* illa ex Scripturâ petita *Delectabilia* & *Fidelia*, à sapientissimo Regum quæsitâ (c), quæ sua gravitate & rerum pondere omnem Eloquentiam Humanam superant; & in quibus plus sanè est acuminis, sapientiæ, & venustatis quàm in genti-
lium

(a) 2 Cor. XI. 7. (c) Eccles. XII. 10. (b) 1 Cor. II. 13.

lium Oratorum ac Poetarum (quæ, a nonnullis inter Christianos etiam Doctis Viris tantopere ad ostentationem secularis eruditionis suæ nonnunquam laudantur,) Sententiis.

Hoc tamen ita non velim accipi, quasi non nisi Scripturæ verbis, nunquam suis, uti liceret Concionatori Ecclesiastico, in oratione ad Deum, vel de Deo ad populum.

Est enim Interpres non Recitator Verbi Divini; quod utique explicare nequit nisi etiam sua verba adhibeat. Malè certe agit, si ita in dicendo vel orando sermonem imitetur propheticum, ut ad intelligentiam ænigmatum illorum alio opus sit Interprete. Quare tropice & figuratè dicta in Sacris vix ab ipso adduci debent nisi cum Explicatione adjectâ. Quotus enim quisque est ex plebe Christiana, qui verba Ezechielis illa (d), in precibus quandoque usurpari solita, *Pater noster Emoræus* est, & *Mater Chittæa*, de originali labe nostrâ mox intelligat; aut qui Monitum illud Salomonis (e), *projice panem tuum juxta, vel super, aquas*, quod in commendatione pauperum de suggestu nonnunquam auditur, absque ullâ explanatione adsequatur?

Neque etiam hoc ita intelligimus, acsi in Explicatione Doctrinæ fidei nullis nisi in Scriptura expresse

(d) Ezech. XVI. 3.

(e) Eccles. XI. 1.

preſſe repertis *Terminis* liceret uti. Terminorum enim Theologicorum quorundam utilitas, ad detegendas Hæreſes, verum Controverſiæ ſtatum cognoscendum, excludendas Hæreticorum ludificationes, atque ad genuinos Gileaditas, hiſce tanquam altero quodam *Schibboleth*, ab Ephratæis diſtinguendos, (f) comprobata dudum & agnita eſt ab omnibus Veritatis & Orthodoxiæ Cultoribus.

Nec pertinent hi Termini, v. g. *Trinitas*, *Persona*, ὁμοῦσι &c. ad βεβήλωσ καὶ νεοφωνίας *profanas vocum novitates*, (uti Vulgatus legit) à Paulo damnatas in priori ad Timotheum Capite ſexto. (g) Nam quamvis *Nova* quadantenus ſint Vocabula, non tamen *Profana*, ſed quæ in iſſis Sacris Literis fundata ſunt.

Permittimus verò ut *Profanis vocum novitatibus* accenſeantur ea Verborum Portenta, quæ in Myſticorum Doctorem ſcriptis leguntur, quando jactant *Transſubſtantiationes Myſticas*, *Cordis concentrationes*, *Potentiarum*, imo omnis ſui eſſe *Annihilationem*, & *Abyſſalem cum Deo identificationem*, & docent, *Hominem deificari*, *in deum transformari*, *Animam omni actione deſtitui*, *Deum ſolum agere*, *Hominem tantum Pati* &c. Quæ portentiloquia, cum peſſi-

mo

(f) Jud. XII. 6. (g) 1 Tim. VI. 20.

mo dictorum quorundam similium Scripturæ abusu & detorsione conjuncta ab illis Mysticis Theologis, effecerunt ut Enthusiastæ, Libertini & Athei scripta illa Mystica olim magnopere laudaverint, & hodie commendent, ut incautos ad Libertinismi & Atheismi præcipitia, sensim & sine sensu, abducant & abripiant.

Simplex porro cum notet ex origine id quod est *sine plicis*, & proinde ex usu, id quod *Æquabile*, *Apertum*, *Planum* & *Purum* est, ad *Simplicitatem in Verbis*, Oratori Sacro necessariam, pertinet quoque sermo *Æquabilis*, *Apertus*, *Perspicuus*: quo sensu Dictator apud Livium *Simplicem* esse *Orationem* suam dixit.

Æquabilis, inquam, a quo absunt omnis Tumor & Granditatis Excessus, & dicta in speciem sublimia sed revera inania, quæ efficiunt, ut Auditores, non rem ipsam sed ejus imaginem modò retineant.

Apertus præterea debet esse sermo Concionatoris Ecclesiastici, fugo verborum meretricio non oblitus &, sine verbis adulatoriis & assentatoriis, a Paulo in priori ad Thessalonicenses (h) rejectis: quibus Hominibus placere student, (i) errores & vicia eorum palliantur, *parietes tectorio inepto obdu-*
cum-

(h) 1 Theff. II. 5.

(i) Gal. I. 10.

cuntur, (k) ea quâ sunt Hominum, non ipsi ad salutem Homines, nec Dei & Christi gloria quæ-
runtur, (l) pax impiis promittitur (m), peccandi
fomes subministratur, & securitas carnalis intro-
ducitur

Decet e contrario Oratorem sacrum, Modesta quæ-
dam in dicendo *Libertas* & παρρησία, aliena, uti ab
omni turpi adulatione, ita etiam ab omni præpo-
stero pudore & fervili timore, qualis in Domino
nostro ab ipsis Herodianis, aulæ Mancipiis, lauda-
tur, qui illi hoc Testimonium perhibent in Euan-
gelio; *Magister, scimus te veracem esse, & viam Dei
in veritate docere, nec quemquam curare, non enim re-
spicis, ad personam* (n) *Hominum.*

Inprimis etiam Sermo Ecclesiasticus, ut *Simplex*
fit, *Perspicuus* esse debet. In *obscuritate* sermonis
gloria Eruditionis heic minime quærenda est, ubi
de salute æternarum animarum agitur. *Interpres*
Verbi Dei ipsum Deum *imitari* debet, qui perspi-
cua eloquio ad salutem necessaria miseris mortali-
bus revelavit. *Auditores* habet omnis generis *Ho-
mines*, doctos pariter & indoctos, viros, foemi-
nas, senes, pueros, fervos & ancillas, quos o-
mnes, ab omnibus intelligibili & captu facili ser-
mone

(k) Ezech. XIII. 10. 11. 14. (l) Phil. II. 21. 2 Corinth.
XII. 14. 1 Cor. X. 24. (m) Jer. VI. 14. (n) Matth. XXII. 16.

mone ad reconditæ sapientiæ cælestis cognitionem perducere debet. *Orationes* nostræ sacræ sunt *Homiliae*, ut Græcivocant, seu *familiaria colloquia*, in quibus Concionator ut Pater Liberos, Amicus Amicos, Frater fratres, alloquitur Auditores suos, eosque monet de imminente æterni exitii periculo, & de ventura super eos certo certius Dei ira horrenda, nisi maturatâ fide & resipiscentiâ eam sine ulla dilatione effugere studeant. Ad quod utique, verba, quæ ipsa rei natura suppeditat, clara nimirum & seria, longe majorem vim habere, quam quæsitæ ex arte declamatoria verborum ambages, nemo est qui non mecum faciliè persentiscat. Ea denique omnis *Veritatis pulchritudo* est, & maxime ejus quæ in Christo est, ut fucari non velit, sed quo magis nuda sistatur, eo vehementius etiam rapiat in sui amplexus.

Hæc autem *Perspicua Simplicitas*, sicuti ab una parte excludit verba in vernaculâ Linguâ insolentia, rara, extraordinaria, & vocum ac phrasium portenta ac monstra, qualia hodie nonnulli, quibus omnes vulgares, consuetæ, etiam scripturiaræ loquendi formæ sordent, in suggestu proferunt: Sic ab altera parte exigit verba apta; quæ sunt ipsarum rerum, seu nostrorum de iis conceptuum, vividæ imagines; & simul verba consueta, nec ex trivio, nec ex theatro hausta, sed qualia in conversat-

versatione hominum politiorum, bene natorum & educatorum audiuntur & usurpantur. Cui tamen sermonis Simplicitati ac Perspicuitati non repugnat nervosa quædam *Brevitas*, cum paucis verbis multa dicimus, imo una voce, sed significantissimâ, plus & multò clarius quam centum aliis exprimimus. Quemadmodum *Lucanus* his paucis verbis; *Pompejo fugiente timent*, de Pompeji magnitudine plus dixit, quam si multo verborum apparatu eam descripsisset. (o)

Verùm præter verborum Simplicitatem requirimus in Oratore Sacro secundo loco SIMPLICITATEM RERUM.

Ad quam referunt nonnulli Rhetores Sacri Simplicitatem *Exemplorum*, quæ ad persuadendum aut permovendum adduci solent; ut scilicet ex multis aliis unum seligat Orator, illudque præ aliis, vivis coloribus expressum, proponat. Hoc inprimis urget & illustrat Doctissimus *Stephanus Gausseus* Salmurienfis Theologus; in eleganti quam conscripsit de *Ratione concionandi* dissertatione.

Certe huic Rerum Simplicitati repugnat, in concione Ecclesiastica multas sententias, modò veræ sint in se, nec analogiæ fidei ac scripturæ contrariæ, conjungere: hoc sub prætextu, quod omnes

mnes veræ sint, & quod Spiritus sanctus præviderit eas a variis interpretibus proferendas, atque sic nobis uno in loco plusquam unam veritatem subministrare voluerit; quemadmodum Augustinus in hunc sensum loquitur in Libris de Doctrina Christina. (p)

Etenim in unoquoque Scripturæ loco omnis veritas non continetur, nec verba ubique significant quod significare possunt, sed quod debent in singulis Locis, ex scopo loquentis & ex connexionione verborum. Ut rem hanc uno tantum Exemplo illustrem, adducam Pauli verba in secunda ad Corinthios, (q) *Dixit Deus, ut e tenebris Lux splenderet.* Verum est dixisse Deum; ut Lux primigenia corporalis ex tenebris abyssi emergeret, Lux Verbi sui in tenebris mundi prodiret, Lux Fidei in obtenebratis Electorum cordibus oriretur, & Lux gloriæ cælestis tandem post tenebras mortis splenderet. Verum idcirco omnis hæc Lux varia corporalis & spiritualis, non est jungenda, nec intellecta a Paulo, qui procul omni dubio ad Lucem primigeniam in Initio mundi productam respexit. Est enim in verbis ejus manifesta Creationis Veteris cum Nova Comparatio.

Neque

(p) Lib. III. CXXVII.

(q) Cap. IV. 6.

Neque omnes Loci cujusdam Interpretationes, a Variis allatas, frigidas etiam, frivolas & absurdas planè, commemorare debet Orator facer, si *simplicitati Rerum* studere velit, nisi hoc ad Hæreticorum ac Errantium confusionem Necessarium & Utile videatur. Sic præter rem & absque necessitate ac utilitate Concionator, differens de Oraculo hoc a Paulo in Epistola ad Ephesios (r) laudato; *Excitare qui dormis, & resurge ex mortuis, & illucescet tibi Christus*; ineptam illam & falsam commemoraret etiam Explicationem Alicujus ab Hieronymo notatam, (s) qui hæc Verba coram plebe Christiana ad Christum accommodabat in cruce pendentem, & sermone hoc, *surge qui dormis*, Adamum compellantem, sub ipsa cruce scilicet sepultum.

Inprimis ad hanc *Rerum simplicitatem* spectat *Utilia Necessaria* & maxime *Vera* dicere. *Simplex* enim *Falso* opponitur apud Auctores sacros pariter & profanos. Abstineat ergo Orator facer ab omnibus *κενοφωνίαις*, *inanium rerum clamoribus*, a Paulo proscriptis (s*) & a Quæstionibus ac Disputationibus Rabinorum ac Scholasticorum in papatu, de rebus abstrusis, infructuosis, vanis, quæ nihil ad fidem confirmandam, aut pietatem promovendam faciunt, sed ex quibus non nisi *pugnæ* noxiæ oriuntur. (t)

D

Vera

(r) Cap. V. 14. (s) in Matth. XXVII. 33. (s*) 1 Tim. VI. 20.
(t) 2 Tim. II. 23. 24.

Vera semper cum maxime proferre debet Concionator facer ; & abominari impium illud Maledicti Philosophi axioma ; *Fidem non tam requirere VERA ; quam PIA dogmata , hoc est talia , quæ animum ad obedientiam movent ; tametsi inter ea plurima sint , quæ nec UMBRAM VERITATIS habent ; dummodo tamen is , qui eadem amplectitur falsa esse ignoret* (v). Nunquam etiam piis fraudibus utatur Verbi Divini Interpres , nec unquam pugnet pro fidei dogmatibus ex scripturæ testimoniis aliò detortis , quàm habet germanus eorum sensus. Quâ in parte veteres quandoque sibi nonnihil indulgisse monuit in *Ecclesiaste* suo *Erasmus* , & Exemplis allatis comprobavit. Nollem profectò *Hieronimo* excidisse , haud esse turpe hostem (fidei Adversarium) *dolis ferire , non viribus*. (w) Piis , vel impiis , hisce fraudibus Res Christiana non promovetur , sed detrimenta capit. Non licet nobis *pro Deo forti* , ejusque causa , *iniquitatem loqui & fraudem* , uti optime *Jobus* monuit. (x)

Res veras igitur dicat Minister Verbi , *Vera Dogmata* ex verbo veritatis hausta , vera & solida *Argumenta* , in quibus est ἀπόδειξις πνεύματος , non πιδανολογία (y) vera etiam *Exempla* , verasque *Historias* proferat , non aniles fabulas , non cerebri figmenta , non aperta mendacia ; Nec luxu-

rian-

(v) in Tract. Theol. Pol. Cap. XIV. p. 162. I. W. in Apol. pro libris adv. Jovinian. ad Pammach. Tom. II. Opp. p. m. 105.

(x) Job XIII. 7.

(y) Coloss. II. 4.

riantis ingenii speculationes pro diuinis veritatibus audaciter unquam venditet : veritatem etiam in Laudibus & Redargutionibus sectetur, nec unquam exaggerandi aut deprimendi modum excedat. Numquam se in doctrina salutis accommodet ad Humana ingenia & affectus ; dicendo id tantum quod iis placet & congruit, reticendo autem illud, a quo mortalium animi alieniores sunt. Sicuti Jesuitæ in China, *dolosis illis operariis* a Paulo memoratis (z), meritò adnumerandi, ne crux Christi offendiculo sit Chinenfibus, id quod gloriosum & cæleste est in Christo tantum prædicare perhibentur, negligere verò crucem ejus, in qua unâ gloriatus est Paullus, & salus peccatoris consistit.

Certè nil Veritate pulchrius est, adeo ut delectet etiam in ipsis Fabulis veritatis species. Nil Veritate Christianâ sanctius & certius est. Nil quoque magis necessarium est ad salutem, quam Cognitio Veritatis, seu Mysterii Patris & Filii, & obedientiæ hujus vicariæ, fide amplectendæ ad justificationem coram Deo ; cujus doctrina ideo nunquam reticeri debet.

Ita in via Veritatis præiverunt Apostoli. *Non arte compositas Fabulas secuti sumus*, inquit, Petrus (a).
Ita

(z) 2 Cor. XI. 13.

(a) 2 Petr. I. 16.

Ita Paulus dicit, se non *cauponari sermonem*, instar eorum qui vina adulterant, & vitiosa pro sinceris vendunt. (b) Et alibi, *se abrenunciassse pudendis latebris, non cum calliditate ambulare, nec sermonem Dei δολῶν falsare, sed declaratione veritatis se commendare apud omnem hominum conscientiam in conspectu Dei.* (c) Et rursus, se *conversatum esse in Simplicitate & sinceritate, non in sapientia carnali* (d), quæ perplexa sophismata profert, & *Persuasoria Verba* (e) illa, quibus corruptæ Hominum rationi & affectui pravo placentia tantum proponuntur.

Ut adeo per concessionem quandam ironicam dixerit idem Apostolus in secundâ ad Corinthios, (f) *quia callidus fui dolo vos cepi.* Vult enim dicere Paulus, si dolo est, vos non gravare, gratis vobis Euangelium prædicare, non vestra sed vos ipsos quærere; Ego sanè *dolo* usus fui, non malo tamen, sed laudabili profectò, quia non vestra dona, sed Vosmetipsos, & salutem vestram æternam, cum dispendio fortunæ, virium ac vitæ meæ, procurare quæsi.

Verùm ut tandem ad *Simplicitatis* in Oratore *Sacro Requisitæ* arcem adscendat Oratio; *Verborum & Rerum* illi omnino jungenda est SIMPLICITAS ANIMI & MORUM.

Hæc

(b) 2 Cor. II. 17.
(e) 1 Cor. II. 4.

(c) 2 Cor. IV. 2.
(f) Cap. XII. 16. 17.

(d) 2 Cor. I. 12.

Hæc, longè diversa a *Simplicitate naturali* aut *moralis* illa, quam gentilium sapientes quandoque laudarunt; consistit in Integritate animi ac vitæ, quæ cordis *Duplicitati* in Religione, in Fide, in Cultu Dei, atque in Conversatione cum hominibus, opposita, excludit omnem dolum, *παῖσγλαν*, κα-
κίαν, versutiam, fallaciam ac hypocrisin; & includit *infantiam ad malum*, (g) ipsamque Charitatis Christianæ sinceritatem, ex puro corde, bona conscientia & fide non simulata. (h) Uno verbo est ea *Rectitudo* animi & vitæ, quâ *Pii* sumus erga Deum & Homines, quæque Gratia Dei Vorticordiae Effectus est, & in solis per Spiritum S. Regenitis reperitur, ut ejus supranaturale, non naturæ, Donum. Unde SIMPLICITAS & Sinceritas DEI appellatur a Paulo, (i) & verè Pii, *Recti Corde* (l) & פְּתִימִים SIMPLICES dicuntur in Sacris.

Hæc est illa *Simplicitas* quæ in Christo est, quâ Sponsa Christi ornari debet, ut tanquam *Virgo pura* æterno cum Sponso in gratia & gloria jungatur connubio, de quâ Paulus in secunda ad Corinthios capite undecimo. (m)

Hæc quoque est illa *Simplicitas Columbina*, à Christo Evangelii sui Præconibus commendata, (n) & quam

- | | | |
|-------------------|-------------------|---------------------|
| (g) Rom. XVI. 19. | 1 Cor. XVI. 19. | Matth. XVIII. 3. |
| (h) 1 Tim. I. 5. | (i) 2 Cor. I. 12. | (l) Psalm. CXXV. 43 |
| (m) vers. 3. | (n) Matth. X. 16. | |

quam nos supra omnia in Ministro Verbi requirimus, ut ad persuadendum & permovendum maxime utilem ac idoneam.

Si enim a Rhetoribus Scholasticis hunc in finem præscribantur non solum Λόγῳ *Argumenta* demonstrantia, sed & Πάθῳ *Affectus*, & ἤθει *Mores*, ut saltem illos ostendet Orator quos Mores & Affectus in Auditoribus suis excitare annititur: certe Rhetores Ecclesiastici ab Oratore Sacro meritò exigunt Mores & Affectus sanctos, non quos integro sermonis habitu pingat & fingat ille; nam nulla est perniciosior impietas quàm quæ sese Pietatis obtentu venditat; sed quos verè habeat, omnique sermone & opere sincere ostendat.

Non sufficit Systema Theologiæ practicæ scire, & scripta eorum legisse qui de vita spirituali egerunt, atque ex iis tantum sapere ac magnificè differere coram populo Christiano. Verùm Experientia gratiæ Dei, Fidei in Christum Vita quotidiana, veræ Pietatis studium, & Amor gloriæ Dei & Christi, ac salutis Auditorum fervidus accedere debent.

Amor Christi sincerus in Pastore Ovium ejus est maxime necessarius. Ter rogat Dominus Petrum *Amas me!* (o) & non nisi ter affirmanti Apostolo jubet, *pascere oves suas.*

Præ-

(o) Joh. XXI. 15. 17.

Præcones Christi *Voces* debent esse opere & pietatis praxi magis quam ore *clamantes*, (p) ut fiant, juxta Monita Paulli, *Exemplaria gregis, Bonorumque Operum Typi* illustres. (q) Ministros Sanctuarii Sanctos esse præ aliis oportet; quales Deus Ecclesiæ N. T. inprimis promisit (r) apud Jesaiam Vatem.

Sic verò *Pietatem* in Præcone Verbi, ut fructuosum ejus sit Ministerium, *necessariam* statuentes, minime existimamus, quòd sola Devotio Ministrum Verbi constituat. Quemadmodum hodie nonnulli, nimis prope ad Pietistas accedentes, de Eruditione Ministri, non dicam seculari, sed etiam Theologicâ, & de Studiis & Donis ejus, parum solliciti, solam fere pietatem, cujus ideam sibi met ipsi præscripserunt, in illo requirunt.

Pietistæ enim, ita abusivè dicti, Hominum fanaticorum, Libertinismo & Indifferentismo, magnam partem, deditorum, impura Colluvies, Orthodoxiæ nomen odio habent, illamque, si quam agnoscant, non in Conformitate Doctrinæ cum Sacris Literis, sed in solâ Vitæ Morumque emendatione collocant, atque eum qui verbi, seu Christi, ut loquuntur, interni, ductum sequitur, Orthodoxum pronunciant: atque sic Veritatis Revelatæ Cognitionem

(p) Jes. XL. 3. (q) 2 Tim. III. 15. 16. 1. Thess. V. 9.
(r) Jes. LX. 17.

nem & Studium & Doctrinam pessimè a Pietate separant.

Nulla enim vera Devotio est nisi quæ ex Cognitione & Fide Veritatis profluit. (s)

Sic Spiritûs S. Ductum *in omnem Veritatem*, à Domino ut ingens & necessarium Bonum, suis discipulis promissum, (t) pro nihilo habent, modò ducat eos in omnem Pietatem. Sic etiam *Urim & Thummim* malè sejungunt, quæ in Ministro Sanctuarii conjunctissima esse voluit Dominus Templi. Sic denique rident Paullum, impensè laborantem, ut *Veritas Evangelii* apud Galatas permaneret, (v) & seriò monentem Ephesios, (w) ut *circumcinctis lumbis Veritate starent*. Sic tandem Sectæ Pilati, profani Hominis, sese esse addictos demonstrant, qui ad Domini nostri Dictum illud, *Quisquis ex Veritate est, audit Vocem meam* (x) cum fastidio & irrisione regessit, *Quid est veritas!*

Neque etiam dum Pietatem veram in Oratore Sacro requirimus, hoc dicere volumus, quod omnis Ministerii verbi salutaris Effectus a *Pietate* Ministri dependeat, ut absolutè necessariâ ad Conversionem Hominum.

Hoc quoque affirmant Pietistæ, quod Irregeniti
Con-

(s) Tit. I. 1. I Tim. I. 5. (t) Joh. XVI. 13. (v) Gal. II. 5. (w) Ephes. VI. 14. (x) Joh. XVIII. 37.

Concionatores sint Ministri *Literæ*, non *Spiritus*, utpote qui non daretur sub Ministerio Mali Doctoris.

Malè iterum; nam Efficacia Prædicationis Verbi non pendet a Pietate Ministri, sed a Virtute Domini. (v) Neque enim *in Verbis situm est Regnum Dei*, sed *in Virtute*, id est *Potentia Dei*, ut ait Paulus: (x) Et rursus; *Neque is qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed Deus qui dat incrementum.* (y) Non omnes, quos *Mercatus est Dominus*, ut sibi serviant in Præconio Verbi, elegit quoque ad salutem. (z) Judæ proditoris, Filii Perditionis, Ministerio ipse Dominus uti voluit; & dixit de Sudentibus in Cathedra *Mosis*: *Omnia ergo quæ dixerint Vobis ut servetis, servate, & facite: sed secundum opera eorum ne facite; dicunt enim & non faciunt.* (a) Gaudebat Paullus de eo quod *Christus annunciaretur*, sive id fieret *sincerè*, sive *in speciem*, ab eis, qui dolorem & invidiam ipsi in vinculis creabant, eosque in Ministerio reliquit. (b) Meritò itaque damnavit *Augustana Confessio*, articulo octavo, *Donatistas* & similes, qui negabant licere populo uti Ministerio malorum in Ecclesia; & sentiebant Ministerium malorum inutile &

(v) Rom. I. 16. Jes. LIX. 21. LVII. 12. Ps. CX. 1. 3.
 (x) 2 Cor. IV. 10. (y) 1 Cor. III. 6. 7. (z) 2 Pet. II. 1.
 (a) Matth. XXIII. 3. (b) Phil. I. 15. II. 21.

& inefficax esse. Quo in articulo per omnia consentire Ecclesias Reformatas cum Augustana Confessione, monuit in Exegesi ejus solidissimus Theologus *Henricus Altingius*.

Preces Impii ingratae quidem Deo sunt. (c) Sed sic sibi soli nocet Minister Irreginitus, non illi pariter, qui Orat cum eo Pius. Nec enim Orationi Ministri alligata est Fides ac Renovatio Auditorum.

Et quamvis Concionator ipse *Vitæ Spiritualis Experientia* destitutus sit, potest tamen eam ex Scripturâ describere, & id eloqui, quod ipse nec credit, nec amat, nec facit. Experientia enim non format verum Spiritualis vitæ conceptum, sed eum confirmat.

Manet interim firmum & inconcussum, quod Pietas Oratoris Sacri, si verè adsit, & externe probetur, ad Persuadendam Auditoribus Decentiam, Necessitatem, Jucunditatem, & Utilitatem Viæ Salutis, quam calcandam ab iis commonstrat, plurimum valeat. Imo quod plus Benedictionis & Gratiae Divinae, siue Convincentis, siue etiam Convertentis & Sanctificantis, secum vehat communiter, quam Sola Erudita Eloquentia, nulla animi Devotione, nulloque Pietatis veræ ardore animata.

Etenim nil magis ad persuadendum facit, quam
fi

(c) Prov. XV. 8.

si cum ratione præsumat Auditor Oratorem vere credere quod docet, cupere quod pollicetur, metuere quod comminatur, & odisse quod arguit.

Efficacius porro Aliis persuademus quibus ipsi met vehementer afficimur. Pius Concionator *Amat* Verbum Dei. Ex *Amore* oritur *Meditatio* de eo diurna & nocturna. Ex *Meditatione* clarior rerum divinarum *Perceptio* sequitur, cum *Admiratione* earum conjuncta. Atque ex illa perceptione fortior *Persuasio* dimanat, de Dogmatum Sacrorum decentiâ, Præceptorum Sanctitate, Prophetiarum Certitudine, Argumentorum Pondere, Veritatumque Divinarum Connexione admirabili. Ex quâ *Persuasione* incredibilis *Voluptas* animi oritur, quâ perfusus Orator ardorem concipit, eumque toto Orationis habitu promit, atque ita vi quadam arcana Auditorum animas accendit, atque inflammat.

Præterea non novit modò & credit Pius Orator, sed etiam sentit dari Remissionem peccatorum, Adoptionis Privilegium, Amorem Dei in cordibus effusum, Manna absconditum, & Nomen illud Novum, quod nemo cognoscit, nisi qui accipit. (d) Hic ergo ea quæ animo suo firmiter infixæ habet, vivis quoque coloribus depinget, ut persuadeat illa Auditori-

(d) Apoc. II. 17.

toribus, eorumque animos fortiter moveat, ad illorum Bonorum in Euangelio oblatorum Communionem quantocyus quærendam.

Pietas porro Ministri addit Robur Orationi ejus ut Veræ & Orthodoxæ. Certus enim Auditor potest esse quòd Regenitus Minister in Fundamento Doctrinæ Salutis errare nequeat per gratiam Dei, qui *fideles*, non modò Audientes, sed etiam Prædicantes, *Conservat*. (e) Gratia etiam Dei facit, ut contremiscat Pius Orator ad Verbum Dei, (f) & ut non audeat dicere quidquam quod non audierit Deum in verbo suo dicentem; atque ut nolit sapere supra id quod scriptum est, (g) nec credendo stultescere recuset mundo (h), ut verè sapiens Deo fiat, paratus semper ad rejiciendum omne verbum Humanum, quod se opponit Revelationi Creatoris & Legislatoris summi: ne abducatur ipse &, abducatur alios a *Simplicitate quæ est in Christo*; quemadmodum Eva seducta est, dum Serpentis Promissioni Majorem quàm Dei Interdicto & Comminationi fidem habebat.

Regenitus denique Concionator *Spiritum* precum habet, quas fundit sæpe, etiam sub horam concionis, postulatque a Deo Sapientiam, Linguam, ac Orationis felicem Eventum, Auditorumque suo-

(e) Psalm. XXXI. 24. (f) Jes. LXVI. 2. (g) Cor. IV. 6.
(h) 1 Cor. I. 18. 21. 23. 24. 25. 1 Cor. II. 18. 19.

suorum, vel Conversionem, vel Corroborationem in statu Gratiæ. Cum verò preces Justi multum valeant apud Deum, exinde apparet satis quod vera Pietas Oratoris Sacri Vim habeat quandam singularem ad referendas Cælestis Tzijonis portas, ut ex alto demittat Dominus Sceptrum Roboris sui, quo Dominetur in Medio Inimicorum suorum ad eorum æternam salutem. (i)

Tandem & hoc habet vera Pietas, ut propius inspecta Malis quoque veneranda sit: Unde sequitur, quod in Ministro relucens efficere queat ut horum Impietas, effrenaque peccandi licentia refrænctur, aliorum verò Vita saltem externe emendetur ad bonum Civitatis & Reipublicæ. Quam Pii Ministerii sequelam Experientia in variis Locis dudum comprobavit.

Quia verò *Simplicitas* absque *Prudentia* meritò *Stultitia* appellatur, atque *Simplex* pro incauto apud Auctores Sacros & profanos ponitur; *Columbinam Simplicitatem* cum PRUDENTIA SERPENTINA conjunxit Dominus, & nos ad Exemplum Ejus utramque in Oratore Sacro necessariam dicimus.

Per hanc vero *Prudentiam* non nunc intelligo Civilem, Oeconomicam, Militarem, sed *Christianam*. Non eam solum quæ est omnium *justorum*

(i) Ps. CX. 2.

rum. (k) Sed quæ Ecclesiæ Doctores *speciatim* decet, quam *Ecclesiasticam & Pastoralem* vocant. Neque tamen eam nunc adeo respicimus Prudentiam Ecclesiasticam, quæ in Administratione Sacramentorum, Exercitio Disciplinæ, & Ægroto-
rum Visitatione se manifestat: sed quæ in *Præconio* verbi Publico potissimum sese exserit. Hæc verò consistit in illo Mentis Habitu, quo facilis & idoneus redditur Minister Christi ad sermones suos ita componendos & dirigendos, ut consequatur optimum illum finem, ad quem Ministerium verbi est institutum. Ad quem pertinent, Puræ Euangelicæ Doctrinæ Conservatio, Legis Regiæ accurata Observatio, Naturalium Hominum Conversio, Conversorum in Fide Corroboratio, Diuini Nominis Glorificatio, Regni Christi Extensio, Ecclesiæ Ædificatio, & Salus Hominum æterna.

Ad quem omnem optabilem Finem obtinendum, in genere necesse est, ut Minister Verbi Circumstantiarum variarum rationem habeat, & Circumspectè expendat; Quid dicat, & Quomodo, Coram Quibus, Quo Tempore, & quo in Loco loquatur, & ut Eligat illam Sermonis Materiam, eamque Methodum, eaque Argumenta, Motiva & Verba adhibeat, quæ hisce Circumstantiis cum maximè congruunt;

(k) Luc. I. 17.

gruunt; omittat autem & fugiat illa, quæ ut in-
tempestiva minus convenirent, & quæ fortè plus
damni quam utilitatis causæ Dei & Ecclesiæ ad-
ferrent.

Præter hanc Generaliorem Prudentiæ Ecclesia-
sticæ descriptionem si velitis, A.H. præcepta quæ-
dam de illâ Specialiora; dabo, sed pauca, ne
Vos diutius quam par est detineam, Vestraque Pa-
tientiâ nimium abutar.

Orator Sacer, si ad Locum Scripturæ feliciter
sit Dicturus, Logicæ practicæ peritus, artisque O-
ratoriæ Sacræ Præcepta, a Multis dudum, sed
acurrate & perspicue a Venerando Knibbio, & Ce-
leb: Tillio ac Fabricio nuperrime data, tene-
re debet; ne in formando & habendo sermone
Ecclesiastico continuè oberret, ubique hæreat, &
summa imis & quadrata rotundis misceat. Pru-
dentia interim usum illorum præceptorum mode-
rari debet. Nihil enim est ineptius iis, judice
Erasmo, qui nimis religiose Præcepta Rhetorica
observant; cum summa ars sit quandoque artem
negligere.

Quia porro ita solent esse mortalium mores, ut
extremâ semper lineâ oberrent, & aut Nihil ve-
lint, aut Nimium, etiam in Sacris. Prudentia vera
heic quoque auream Mediocritatem suadebit O-
ratori, atque efficiet, ut ab una parte. *Non Nihil*
planè

planè eruditionis ostendat, & ab altera parte, *Non Nimum* secularis Doctrinæ & studii Litterarii ac Philologici, in concione ad illiteratam plebem habitâ, affectet.

Prudentia inprimis necessaria est in *Interpretatione* Scripturæ, instituenda juxta Regulas Hermeneuticas certas, solidas, probatas, & communiter a Viris Piis & Doctis receptas, non ex Mente hujus modò aut illius Interpretis, absque justo Examine, & propter ejus auctoritatem solam, adoptatas. Deinde in hac *Interpretatione* si velit feliciter procedere, Prudenter sibi cavere debet à nimio *allegorizandi* studio, in *Origene* præsertim, qui & Literam ipsam aliquando deserebat, Aliisque Patribus jure meritoque damnato, qui totam fere Scripturam in meram allegoriam commutabant. Nititur enim hoc insanum allegorizandi studium, hoc quoque pessimo, ad labefactandam scripturæ Divinitatem planè comparato Principio, quòd nuda Litera Scripturæ sit infra Majestatem Dei Auctoris ejus, in cujus Libro scilicet, non vulgaria de Ritibus ac Moribus Præcepta, non naturâ nota Doctrina, non Historica, aliunde satis cognita, & quæ quandoque non sunt magni momenti; verùm sublimia tantum, occulta, longè post futura; & hæc quidem, non Simplici sermone exposita, sed juxta Veterum sapientissimorum gentilium morem, ænigmatibus, symbolis, fabulis, allego-
riis

riis involuta inveniri debeant. Quod Principium facile admittent profani Critici, atque animadversis illis conquisitis & alienissimis allegoriis, libros quosdam mere Historicos, & Morales, ex Catalogo Librorum divinitus inspiratorum audacter exturbabunt.

Dari quædam Allego *εὐερα* & Typica minimè diffitemur, sed etiam in his determinandis caute admodum se gerere debet Orator Sacer. *Non omnis* enim, uti ait Sanctus Petrus (l) *Prophetia*; non *Typica*, est *proprie Interpretationis*; seu semetipsam interpretatur, sed Dei ipsius indicio, alibi in Scripturis reperto, ut intelligatur, indiget. Ex quo sequitur, quod non ubique *Typi*, ex Consilio Dei Prophetici, quærendi sint, sed ubi Deus eos in Scriptura commonstrat. Et hîc iterum Oratori Sacro Prudentia opus est, ne Typum Propheticum statuât, ubi nudum *Typi* vocabulum modò reperit adhibitum; ut v. g. de Adamo (l*), & de Factis Fatisque Populi in deserto. (m) Quoniam fortè Vocabulum hoc ibi sumitur de *Exemplo*, vel rem illustrante, vel nos commonente, ne in idem peccatum, eandemque calamitatem incidamus, uti magni Nominis Interpretes dudum judicarunt. Neque etiam nuda Nominis ejusdem Communica-

tio

(l) 2 Pet. I. 20. (l*) Rom. V. 14. (m) 1 Cor. X. 6. II.

tio, aut simplex Comparatio, *Typum* mox *Prophe-*
tium inferunt, sed aliquam modò similitudinem inter
 hunc & illum intercedere indicant. Nempe compa-
 ratur Christus cum Fure nocturno, Leone, Gallina
 glocitante, absque ulla utique Relatione Typica.
 Datur quoque Nomen *Eliæ* Johanni Baptistæ, verum
 non ob typicam hujus per illum præfigurationem,
 quia nullus Messias Typicus, Præcursores illum Ty-
 picum insequens, apparet in Historia Regum Israe-
 lis; sed ob similitudinem, uti adnotatum est in Sa-
 cra pagina, in *Virtute* & *Spiritu*, quibus Johannes,
 æque ac Elias olim, instructus erat.

Porro Prudentiæ Signum est, si Interpres facer
 non fingat & assumat hypotheses, quas interpre-
 tationi suæ substruat, quæ in inextricabiles & insupe-
 rabiles angustias ac difficultates ipsum & Audito-
 res ejus conjicere queunt.

Qualis esse videtur Hypothesis illa, quam non-
 nulli Viri Docti, pio, uti credere fas est, animo
 urgent; quòd scilicet nulla detur in Scripturis *Hy-*
perbole, quâ plus vel minus dicitur quam in re est;
 nulla *Ironia*, quâ aliud dicitur quàm intelligitur; nul-
 la denique *Exergasia*, qua idem plus semel dicitur,
 absque speciali causa & relatione, vel juxta genium
 Linguae, vel ex loquentis zelo, vel denique ad rei
 certitudinem atque momentum generatim signifi-
 candum. Quod si juxta hanc Hypothesin procedere
 velit.

velit Orator noster in magnas se conjiciet difficultates. Nam dantur plurima Loca, quæ absque ope Rhetorices, & Troporum Figurarumque istarum patrocinio, commodè intelligi & solide explicari atque a profanorum strophis feliciter vindicari nequeunt.

Latet certe sub Hyperbolicis & Ironicis Locutionibus Rhetorica veritas, omni etiam plebejo Lectori satis intelligibilis. Nullum hæc mendacium continent. Nullus per eas decipitur; sed omnes facile intelligunt, exaggerandæ vel minuendæ rei causa dici illud, quod fidem superat.

Nec solum in Interpretatione, sed etiam in *Applicatione* Textus Sacri per *Usus Theoreticos & Practicos*, *Prudentia* Locum habet.

Irenica potius quam Ironica debet esse errorum ac hæresium *Confutatio*. Fideliter monere debet Pastor gregem suum, ut sibi caveat à Lupis rapacibus, qui vestimentis ovium induti, gregem diripiunt. (n) Quemadmodum hodie *Hattemistæ* virum suum, Scripturæ ipsius verbis, ad sensum eorum impium detortis, inaudito & nefando auso, obtegunt & occultant. Imprudentiæ profectò & Columbinæ Stoliditatis (o) se Pius Orator reum faciet, si speciosis aliorum sermonibus, aut exter-

na

(n) Matth. VII. 15.

(o) Hof. VII. II.

na quadam Pietatis larvâ circumventus , decipi se-
patiatur, atque ruat in insidias veritati paratas,
aut saltem incautus probet ea, quæ magnopere e-
rant reprehendenda. Quod non nisi magno cum
Ecclesiæ damno contingere potest.

In *Reprehensione* Vitiorum porro *Prudentia* exigit
ab Oratore nostro, ut peccata ita redarguat, ut
tamen Occulta & Auditoribus incognita non do-
ceat & ita crimina in sua turpitudine & mul-
titudine depingat, ut tamen numerum eorum non
augeat, ne ex nigro illo peccatorum catalogo po-
stea quædam expungere cogatur. Etenim Consue-
tudo variat, novusque Mos non mox peccatum
infert, si prava concupiscentia & animi elati va-
nitas absint.

Non debet enim adstringere vinculo Legatus
Regis Christi, quæ arbitrio hominum ab ipso Rege
sunt relicta.

Maxima verò *Prudentia* est adhibenda, ubi cum
Superioribus est negotium, quorum animi non sunt
exasperandi, nec Majestas & Existimatio eorum
coram plebe ullo modo lædenda est aut minuenda.
Uti eis coram in os adulari fervile & abjectum est,
ita palam in eos latrare ferè vel verè seditiosum est.

Cavere denique debet, ne universum hominum
Ordinem unquam vituperet, quasi universi essent
Mali. Inter eos, v. g. qui hodie *seria devoti*
di-

dicuntur, sunt quidam Hypocritæ, sed plures qui revera laudem nostram potius & imitationem merentur, quam publicas & acerbis impotentis animi invectiones.

Hoc unum modo addam, quod Prudentia O-ratoris Sacri sese inprimis quoque exferere debeat in *Inquisitionis* usu: Ne Notas Status gratiæ ac Re-generationis signa ponat talia, quæ in Paucis modo conversis locum habent, nec cum ipso gratiæ Beneficio necessariò sunt connexa. Quale signum est scire *Tempus* & Momentum supranaturalis Im-mutationis suæ, quo Deus vitæ novæ Principium, insuperabili suâ virtute, in anima produxerit, & enarrare *Modum* quo admirabilis illa nova ac super-na generatio facta sit in occulto.

Quotus quisque enim ex est veris Fidelibus, qui in gremio Ecclesiæ natus, Baptismi lavacro renatus, à Parentibus pie educatus, a Pueritia cum Timotheo Sacras literas edoctus, qui simul cum lacte materno limpidas illas Sacræ Doctrinæ, ex Fontibus salutis profluentes, imbibit aquas, & nunquam a veritatis tramite deflexit, nec ad impietatis mundanæ vias se convertit, quique adhuc vivit quotidie in Fide, & Amore Dei ac Christi sincero, licet imperfecte: Quotus quisque enim, est inquam, qui hæc omnia in se reperit, & qui diem & ho-

ram suæ Regenerationis determinare, Modumque ejus enarrare poterit?

An ideo è Regenitorum numero excludendus? Ubi, quæso, hoc signum a Christo, Prophetis & Apostolis est memoratum? Quæ denique hujus scientiæ cum rei ipsius veritate Connexio? An dubitem Ego de Nativitate mea naturali, etsi modum & tempus ejus nesciam? Annon ex Effectis Causam colligo, atque ex vitæ spiritualis Exercitio recte concludo, me, naturâ in peccatis mortuum, ejus Principium a Deo accepisse? Hoc tamen dicere Fidelis potest; quando ex torpore spirituali excitatus est, quando vita fidei ejus nova incrementa cepit, quando Victoriâ insigniorem de hoc vel illo peccato adjacente, cum quo luctari diu debuit, reportavit, quando denique & quomodo, sub hoc illove Ministerio verbi vivens, fortiora sibi calcaria sunt addita, ad sui ipsius abnegationem majorem, crucis susceptionem, & Christi absque ullo pudore præpostero imitationem alacrem. Imo tandem dicere potest, quando postquam in gravius peccatum aliquod fortè inciderit, *secunda* Conversio ejus inceperit, quæ utique, ut fit a bene multis imperite admodum, cum *primâ* confundi non debet.

Sufficiant hæc pauca Prudentiæ Simplificati jungendæ ab Oratore Sacro specimina. Plura nunc non

non addam, sed Orationi finem imponam.

Hæc est illa *Prudens Simplicitas*, rudi penicillo nunc a me delineata, quam Oratoris Sacri, juxta Domini Monitum, insigne Ornamentum, ac necessarium præ aliis *Requisitum*, ut Verbi Ministerium ipsi & Auditoribus ejus feliciter & prospere succedat, semper existimavi. Quamque ideo omnibus precibus a Deo meo petii, atque ejus exercitio Ministerium meum Ecclesiasticum, jam per quadraginta septem fere annos exornare ac fructuosum reddere sincere allaboravi, quantum naturæ infirmitas, carnisque corruptæ reliquiæ permittebant. *Recordare Mei, Deus mi, in bonum.* (p)

Hanc quoque *Simplicitatem Prudentem* Deo consecratis Juvenibus, qui meæ Disciplinæ se olim tradiderunt, ut omnibus viribus sectentur, sedulò inculcavi: ex quibus multi hodie, in florentissimis etiam Belgii nostri Ecclesiis, magno cum fructu, nomine Christi Legatione funguntur.

Et hanc etiamnum omnibus, qui artem concionandi sub meo auspicio discere cupiunt, magnopere commendo.

Et si velitis, Perillustres & Nobilissimi Academiae hujus Procures, & A. H. ut vobis Instituti mei, quod in tradenda Oratoria Sacra hætenus secutus sum, & sequendum mihi proposui, quamdiu

diu Deus vitam viresque largitus fuerit, rationes publice, hac occasione, reddam; En paucis dicam.

Commendo Discipulis meis Simpliciter quidem sed eruditam, ut rerum omnium sibi acquirere studeant scientiam, quæ Theologum faciunt & ornant.

Hunc in finem Commendo illis Historiæ Universalis, & Antiquitatum Romanarum, Græcarum & Hebraicarum studia, quæ insigniter apud nos florent.

Commendo illis præterea, ut Logicæ studium excolant, & ut reliquæ Philosophiæ sanæ & sobriæ, adversus Revelationem sese non efferenti, gnaviter operam dent; cujus Professio, Philosophis toto orbe celebribus demandata apud nos, viget.

Commendo eis cum maxime etiam ut Linguas Sacras, aliasque Orientales cognatas, haud perfunctoriè addiscant, quæ in hac Academia hodie magno cum splendore reviviscunt & reflorescunt.

Quibus propædeuticis præmissis suadeo illis, ut se totos omnibus viribus Theologiæ Revelatæ tradant, ut edocti sapientiam illam cælestem in scripturis traditam, loquantur in Ecclesia non nisi *Eloquia Dei*. (q)

Nolo autem ut ab ore meo tantum pendeant, aut in sensus meos serviliter abeant, sed ut Clarissimos Collegas quoque, animis & zelo pro Orthodoxo-

(q) Pet. IV. II.

thodoxiâ & Unionis Formulis tutandis & retinendis, mihi conjunctissimos audiant, omniaque explorent, & quod bonum est retineant. Novi enim quod nobiles animas vegeta libertas alat, quam laudo, sed eam, quæ amore veritatis & reverentiâ Domini in verbo loquentis, & desiderio salutis proximi, atque pacis in Ecclesia conservandæ, intra justos limites restringitur & coercetur.

Commendo eis insuper, postquam Theologiæ solidæ scientiâ pectora imbuerunt sua, ut se ad conciones publicas etiam præparent, & quidem ut in formandis ac habendis illis concionibus Methodum potius sequantur Analyticam, quia ad Scripturæ Intelligentiam consequendam magis conducit, quam Syntheticam, quæ vulgò in Locorum Communium Tractationem nimium excurrit; & ut hunc in finem legant Præcepta Oratoriæ Sacræ, a laudatis modo Viris Clarissimis tradita, non alia omnia, magno numero edita, ne multitudo eos obruat atque retardet. Et simul ut Lectioni adjungant Exercitationem dicendi privatam; imo ut audiant Pios Doctos & Eloquentes Concionatores; sic fortè majores in Eloquentia Ecclesiastica progressus intra unius anni spatium, quam in Rhetorum officina per plures annos, facturi.

Commendo illis porro, præter eam in Verbis & Rebus descriptam Simplicitem, quam maxime

illam Animi, veram nempe Pietatem; ut ipsi credant, ament, faciant, quæ Auditoribus ad salutem æternam consequendam præscribunt; ut vita eorum talis sit qualis est Oratio sancta; & facta verbis fociant, ut plebs Christiana eos non minus admiretur cum videat, quam cum audiat illos.

Nec inculcare eis defino, quod Hypocriti suâ Homines quidem, non autem Deum unquam decipere queant; & quod larvâ Pietatis obtecti, aliis quidem prodesse possint, sibimet verò ipsis maximopere nocituri sint.

Adhortor denique Eos, ut cum Pietate Prudentiam componant, quæ maximè in iudicio de statu gratiæ Auditorum ferendo exerceri debet; & nunquam sibi infallibile illud iudicium attribuant, quod solius Dei est; magis semper proclives ad bene iudicandum de illis quam malè; & ne temere aliquem numero Regenitorum excludant, qui fortè sequitur sed ex longinquo Dominum; ne-tiquam tamen eos sequantur, sed procul se ab eorum castris separent, qui Regenitum, Pietatisque propugnatorem, unius diei spatio, tanquam statuam e luto, fingunt, quem paulò antequam se illis addixerat, pro Irregenito habuerunt.

Tandem ut necessarium hoc *Simplicitatis Prudentis* Donum a Patre Luminum consequantur, moneo, ut Orationem ad Deum fundant antequam
Ora-

Orationem ad populum habeant, & ut conclavia eorum ardentissimarum precum Thure quotidie fragrent, quibus Altissimum orent, ut Sapientiam in occulto revelet, cordibus prudentiam sanctorum indat, & in ore eorum verba sua, quæ flebant auditorum animos, ponat.

En, Illustrissimi Proceres, hoc fuit dudum, hoc est, & erit Institutum meum, quamdiu spiritus hos alit artus. Tales Oratores Sacros formare studebo, quos hæc *Simplicitas Prudens*, magis quam Eloquentia Mundana, ornet, formet, & Populo Dei, omnibusque salutis æternæ sitientibus, gratos & utiles ad salutem æternam reddat.

Tu, Jehova, Audi & Exaudi vota nostra, pro Nominis Tui Glorificatione, Regni Christi Amplificatione, Ministerii verbi felici successu, pro Patriæ, Academiae & Ecclesiæ Belgicæ, Salute, concepta, propter Dominum !

D I X I

